

Omelia VI. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.17vb-21vb)

Ihesu autem nato in bethleem iudae, in diebus erodis regis, ecce magi ab oriente uenerunt ierosolimam dicentes. Vbi est qui natus est rex iudeorum? Et reliqua.

Multarum nobis indigentia est uigiliarum, multarum orationum, ut possimus pertransire presentem seriem, et discere qui fuerunt magi hii, et unde uenerunt, et qualiter. Et quo suadente eis, et quae fuit stella. Magis autem si uultis, prius quae aiunt ueritatis inimici, haec in medium inducamus. Etenim tantum aduersus eos inspirauit diabolus, ut et hinc ipsi temptent armari aduersus ueritatis sermones. Quid igitur aiunt? Ecce ait et christo nato stella appauit. Quod nempe est signum astrologiam existendi firmam. Qualiter igitur si secundum illam natus est legem, astrologiam soluit, et fortunam destruxit, et demones obstruxit, et errorem expulit, et omnem talem machinationem euertit? Quid autem et magi a stella eius discunt? Quod rex iudeorum fuerit. Et nimirum non huius fuit regni rex. Quemadmodum et pilato dixit. Regnum meum non est ex hoc mundo. Nichil denique monstrauit tale. Neque enim milites, neque principes, neque equos, neque mulorum iugum, neque aliud quid tale habebat circa semetipsum, sed humilem hanc et inopem uitam pertransibat. Duodecim uiles homines, secum circumferens. Si autem et regem nouerunt esse, quare uenerunt? Non enim utique hoc astronomiae opus est, a stellis scire eos qui pariuntur. Sed ab hora eorum qui pariuntur, predicere futura ut aiunt. Hii autem neque parienti matri assuerunt, neque tempus cognouerunt secundum quod natus est. Neque hinc sumentes iniciu composuerunt a stellarum motu quae futura erant. Sed econuerso. Stellam ante multum tempus cum inspexissent apparuisse in eorum regione, ueniunt uisuri eum qui natus erat. Quod et ipsum priore ualde difficilius utique erit. Quae enim eis suasit ratio, qualium bonorum spes, ex tanto spacio seorsum **existentem** regem adorare? Si enim super eos esset regnaturus, maxime quidem neque ita rationem haberet quod factum est. Etenim siquidem in regalibus atriis nasceretur, et patre ei rege presente, decenter utique aliquis diceret, hos uolentes patri blandiri, adorare natum puerum. Et ex hoc multam sibi ipsis materiam deponere bone uoluntatis. Nunc autem neque sibi expectantes futurum esse regem, sed gentis alienae. Et regionis multum ab ipsis distantis, neque uirum uidentes iam factum? Qua igitur ex causa tantam peragunt absentiam, et dona adducunt, et maxime quia cum periculis omnia erant operaturi? Etenim et herodes cum audisset turbatus est, et plebs uniuersa tumultuata est, haec cum audissent ab eo. Sed non prescierunt hi haec. Sed non utique habet hoc rationem. Etsi enim ualde erant stulti hoc non utique ignorarunt, quod in ciuitatem regem habentem uenientes, et talia predicantes, regem alium preter eum qui tunc habitabat monstrantes, infinitas aduersus seipsos utique attraxissent mortes. Quid autem uniuersaliter, et adorabant in fasciis existentem? Si enim uir esset, posset utique quis dicere quod expectantes ab ipso auxilium, in promptum seipsos proiecerunt periculum. Quod et ipsum ultimae irrationalitatis esset, persam, et barbarum, et nichil commune habentem ad iudeorum gentem, uelle quidem a domo desistere, et patriam, et familiares, et cognatos relinquere, alii autem semetipsos supponere regno. Si autem hoc stultum, quod post haec est, stultius multo amplius est. Quale utique est hoc? Quod longa ita absentia cum uenissent, et adorassent, et turbassent omnes, abscesserunt confestim. Quod autem uniuersaliter, et regni simbolium, id est **signum** uiderunt, turgurium et presepe, et puerum in fasciis, et matrem

Commented [ND1]: [fol.18ra]

Commented [ND2]: [fol.18rb]

Commented [ND3]: [fol.18va]

pauperem uidentes? Cui autem et dona adduxerunt, et cuius gratia? Nunquid lex erat et consuetudo, ubique nascentes reges ita mitigare, et omnem circuibant semper orbem terrarum, quos sciebant futuros reges, a paruitate et uilitate ante quam thronum regale ascendissent adorantes? Sed non hoc utique aliquis dicet. Cur autem et adorabant? Siquidem presentium gratia, et quid expectabant a puero, et matre abiecta se accepturos esse? Si autem et futurorum gratia, et unde sciebant, quod rememorabit puer eorum quae tunc fiebant, ut in fasciis adoratus? Si autem mater rememoratura erat ei, neque ita honore sed supplicio erant digni, in promptum immitentes eum periculum. Hinc denique herodes turbatus, et querebat, et circumscrutabatur, et interficere temptabat, et ubique autem qui regnaturum manifestum faciebat, a prima aetate idiotam existentem, nichil aliud quam occisioni tradit, et infinita accendit prelia ei. Vides quot inconuenientia apparent, si secundum humanam consequentiam et communem consuetudinem haec non testificauerimus. Neque enim haec solum sunt, sed et maiora his quae dicta sunt. Sed ut non copulantes aporias, turbari uos faciamus, ad solutionem ergo eorum quae queruntur ueniamus. Primum solutionis a stella ipsa facientes. Si enim discemus quae et qualis fuit haec stella, etsi multarum una, uel extranea, uel preter alias, etsi natura fuit stella, uel uisu solum stella, facile et omnia alia sciemus. Vnde igitur haec erunt manifesta? Ab his quae scripta sunt. Quoniam enim non multarum una, stella haec fuit, magis autem neque stella ut michi uidetur sed uirtus quedam inuisibilis in talem formata uisum, primum **agressu** eius manifestum. Non enim est stella aliqua talem incedens uiam. Sed etsi solem dixeris, etsi lunam, etsi alias uniuersas stellas, ex oriente in occidentem eas uidemus euntes. Haec autem, ab arctos, in meridiem ferebatur. Ita enim palestina ad persidam iacet. Secundo et a tempore, hoc est uidere. Non enim in nocte apparet sed in die media, sole lucente, quod non est uirtutis stellae, sed neque lunae. Haec enim tantum omnes superexcedens stellas, radio apparente solari, occultatur confestim, et inapparibilis existit. Haec autem stella proprie claritatis superhabundantia, et radios uicit solares, luculentior illis apparet, et in tanto lumine magis fulgens. Tercio ab eo quod apparebat, et occultabatur rursus. Viam enim quae est usque palestinam, uidebatur ostendens. Vbi autem intrauerunt ierosolimam, occultauit seipsam. Deinde rursus ubi herodem relinquentes, et docentes eum pro quibus uenerunt, et debebant abire, monstrat seipsam. Quod nempe, non est stellae motus, sed uirtutis cuiusdam rationalis. Neque enim proprium quendam gressum habebat, sed cum oportebat quidem ire eos, ibat, quando autem stare, stabat, ad id quod oportebat omnia dispensans. Quemadmodum columpna nubis, et sedere faciens et erigens exercitum iudeorum, cum oportebat. Quartum, amodo monstrationis, hoc utique aliquis addiscet manifeste. Non enim rursus manens, foetum monstrabat. Neque enim possibile erat eis ita discere, sed deorsum descendens hoc faciebat. Scitis enim quod locum ita paruum, et quantum decens est tugurium detinere, magis autem quantum decens est corpus pueri detinere, non possibile est stellam aliquam notum facere. Quoniam enim infinita est altitudo, non sufficeret ita artum locum designare, et notum facere uolentibus uidere, et hoc aliquis a luna uidebit, quae tantum sub stellis eleuata ab omnibus qui secundum **orbem** terrarum habitant, et in tantam latitudinem terrae effusa, proxima omnibus esse uidetur. Qualiter igitur stella dic michi, locum ita artum presepsis et tugurii demonstraret, nisi altitudinem illam derelinquens inferius descendisset, et super ipsum stetisset caput pueri? Quod et aeuangelista enigmatice insinuans dixit, ecce stella antecedebat eos, usque dum ueniens stetit supra ubi erat puer. Vides per quot monstratur non multarum unam esse hanc stellam? Neque secundum consequentiam exterioris generationis, monstrare seipsam. Et quare apparuit? Vt confutet iudeorum insensibilitatem, et omnibus eis ingratiam apologiam excludat. Quoniam enim qui ueniebat ueterem quidem sedaturus erat urbanitatem, orbem autem terrarum ad sui ipsius ad orationem erat uocaturus, et in terra et mari omni erat adorandus, ex

Commented [CN4]: [fol.18vb]

Commented [ND5]: [fol.19ra]

proemiis confestim gentibus aperit hostium, per alienos, erudire familiares uolens. Quoniam enim prophetas continue audientes, dicentes de eius presentia non ualde intendebant, fecit et barbaros uenire a terra longe, regem qui apud eos erat inquirentes, et a persica prima uoce discunt quae non sustinuerunt a prophetis addiscere. Vt siquidem bone mentis fuerint maximam habeant occasionem ut suadeantur. Si autem litigatores fuerint, omni priuati sint excusatione. Quid enim utique dicere poterunt non suscipientes christum et post tot prophetas, cum uiderint magos a uisu unius stellae hunc suscipientes, et adorantes eum qui apparuit? Quicquid igitur de niniuitis fecit mittens ionam, et quicquid de samaritana et chananea, hoc et de magis. Ideo quae dixit. Viri niniuite surgent et condempnabunt generationem hanc, et regina austri surget, et condempnabit generationem hanc, quoniam illi quidem minoribus crediderunt, hii autem neque maioribus. Et cur per talem eos attraxit uisum ait? Sed qualiter oportuit prophetas mittere? Sed non utique magi prophetas sustinuerunt. Sed uocem **desuper** mittere? Sed non utique intendissent. Sed angelum mittere? sed et hunc transcurrissent. Propter hoc omnia illa relinquens deus, per consueta eos uocat ualde condescens, et monstrat stellarum magnam et alteratam, ut et magnitudine et pulchritudine uisus, et modo incessionis eos stupefaciat. Haec et paulus imitans a delubris grecis loquitur, et poetarum in medium ducit testimonia, et cum circumcissione iudeis contionatur, et a sacrificiis ad eos qui in lege uiuunt, principium facit didascaliae. Quoniam enim unicuique consueta sunt amica, et deus et qui ab ipso missi sunt homines ad orbis terrarum salutem, ita res peragunt. Ne igitur indignum esse estimates ei, per stellam eos uocasse. Quia ita et iudaicis omnibus detraes, et sacrificiis, et purgationibus, et neomeniis et arcae, et templo autem ipsi. Etenim ex greca haec crossitie sumpserunt, primordium. Sed tamen deus propter errantium salutem sustinuit per haec mitigari, per quae gentiles qui extra sunt demones mitigabant, parum transmutans ea, ut eos paulatim a consuetudine euellens, ad sublimem adducat philosophiam. Quod utique et in magis fecit per uisum stellae uocare eos sustinens, ut ex reliquo excelsiorem operaretur. Vbi ergo duxit et ad presepe statuit, non amplius per stellam sed per angelos ex tunc eis loquitur, ita paulatim meliores facti sunt. Hoc et in ascalonitis et gazeis fecit. Etenim quinque ciuitates illae, cum arca adueniente percussae sint letali plaga, et liberationem nullam inuenirent imminentium malorum, ariolos uocantes, et ecclesiam id est contionem congregantes, querebant solutionem inuenire a deo illatae plage illius. Deinde ariolis illis dicentibus, quod iuencas in mansuetas, et primum foetas subiugare arcae oportet, et nullo gubernante dimittere ire. Ita enim erit manifestum, siue a deo illata est plaga, siue ex casu aliquo est egritudo. Siquidem enim ait, uel iugum **ab** in experientia contriuerint, uel adiuencas mugientes conuerterint, casus est quod factum est. Si autem recte incesserint, et neque a mugitu uitulorum passe fuerint aliquid, neque ob ignorantiam uie errauerint, manifestum quod dei manus est quae tetigit ciuitates has. Vbi autem haec ariolis dicentibus, suasi sunt qui ciuitates habitabant illas, et fecerunt ut iusserunt, et deus ariolorum sequutus est consilium, condescendens rursus. Et non estimauit indignum esse sibi eorum prelocutionem, in opus deducere et facere fideles uideri, in his quae tunc dixerunt. Etenim maius quod dirigebatur erat, si et ipsi aduersarii testarentur dei uirtuti, et eam quae de eis erat sententiam eorum didascalii attulerint. Et alia autem multa talia uidebit aliquis utique dispensantem deum. Etenim id quod ingastrimythu id est phytonissa fuit, huic modo dispensationis assimilatur, quam et uos ab his quae dicta sunt soluere poteritis. Gratia quidem stellae, a nobis quidem haec dicta sunt, a uobis autem et ampliora dici poterunt. Da enim sapienti occasionem, et sapientior erit ait. Oportet autem ex reliquo ad principium eorum quae lecta sunt uenire. Quod autem est principium? Ihesu nato in bethleem iude in diebus erodis regis. Magi quidem stella ducente secuti sunt. Hii autem prophetis insonantibus, non crediderunt. Quare autem nobis et tempus dicit et locum, in bethleem dicens, et in diebus herodis regis. Quare autem

Commented [ND6]: [fol.19rb]

Commented [ND7]: [fol.19va]

et dignitatem apponit? Dignitatem quidem, quoniam et alius fuit herodes qui iohannem interfecit. Sed ille thetrarcha fuit, hic autem rex. Locum autem et tempus ponit, prophetiae nos rememorans ueteris, quarum hanc quidem Micheas prophetauit dicens. Et tu bethleem terra iuda, nequaquam minima es in ducibus iuda. Ex te enim egredietur pascor, qui pascet populum meum israel. Hanc autem, patriarcha iacob certissime nobis denotans tempus, et magnum et preter spem signum eius presentiae ponens. Non deficiet enim ait princeps ex iuda, neque pascor excocis eius. Dignum autem et illud querere, unde in tantam uenerunt intelligentiam, et quis eos in hoc erexit. Non enim utique stellae michi uidentur hoc opus esse solum, sed et dei animam eorum mouentis, quod et in cyro fecit, preparans eum relinquere iudaeos. Non ita nimirum hoc operatus est, ut libero arbitrio noceret. Quoniam et paulum uocans desuper per uocem, et eius gratiam et illius obedientiam manifestam fecit. Et cur non omnibus magis ait hoc reuelauit? Quoniam neque omnes credituri erant, sed hii aliis erant aptiores. Quoniam et decem milia gratias peribant, et niniuitis propheta mittebatur solis, et duo latrones erant in cruce, et unus saluatus est solus. Vide itaque horum uirtutem, non ex hoc quod uenerunt, sed et ex hoc quod libere se representauerunt. Etenim ut non uiderentur suspicabiles quidam esse, dicunt eam quae direxit et uiae longitudinem, et liberam presentiam uenientes demonstrant. Venimus enim ait adorare eum, et neque plebis furorem neque regis tyrannidem formidarunt. Vnde michi nempe uidetur, et domi didascalos effectos esse accolarum. Qui enim hic non renuerunt hoc dicere, multo magis in patria sua hoc libere egerunt, ceu qui et responsum ab angelo assumptum abscesserunt, et id quod a propheta erat testimonium. Audiens autem herodes ait turbatus est ualde, et omnis ierosolima cum ipso. Herodes quidem decentur, ceu rex existens et formidans pro seipso, et pro pueris suis. Ierosolima autem quare? Et profecto saluatorem et benefactorem et liberatorem, antiquitus ipsum prophetae predixerunt. Cui igitur turbati sunt? Ab eodem consilio a quo et ante, et deum beneficientem auerterunt, et aegyptiacarum meminerunt carnum, tantam assumptum libertatem. Tu autem michi intende prophetarum certitudinem. Etenim et hoc ipsum presonuit propheta antiquitus dicens. Volent etsi efficiuntur igne consumpti, quod puer natus est filius et datus est nobis. Sed tamen turbati, non querunt quod contingebat uidere, neque magos sequuntur et circumscrutantur, ita simul et litigiosi et desides maxime omnium erant. Cum enim deberent ipsi et decorari quod apud eos rex natus est, qui et persarum attraxit regionem, et habituri erant omnes subiectos quasi rebus in melius procedentibus, et a proemio preclaro ita principio facto, neque ita efficiuntur meliores. Et profecto nouiter a captiuitate erant quae illinc liberati, et decens erat eos intelligere, etsi nichil ineffabilem et excelsorum cognoscerent sed a presentibus conicere solum, quod si natum ita tremunt nostrum regem, multo magis adultum timebunt et obedient. Et barbaricis erunt illustriora quae nostra.

Commented [ND8]: [fol.19vb]

Commented [ND9]: [fol.20ra]

Sed nichil horum eos excitat, tanta erat eorum desidia et blasphemia. Vtraque oportet cum certitudine exterminare a nostra mente. Quia et igne esse fortiolem oportet eum qui stare debet in tali colluctatione. Ideoque christus dixit. Ignem ueni mittere in terram, et quid uellem si iam accensus esset, et spiritus in igne propter hoc apparet, sed nos cinere frigidiores facti sumus, et mortuis magis mortui. Maxime cum paulum uideamus supra caelum uolantem, et supra caelum caeli et flamma uniuersa uehementiorem, omnia uincens et super excedentem, superiora, inferiora, presentia futura, existentia, non existentia. Si autem maius te est illud exemplum, maxime ergo et hic desidia est sermo. Quid enim te amplius habebat paulus, quia impossibilem eum qui ad illum est, ais esse tibi zelum? Veruntamen ut non litigemus, paulum relinquentes, eos qui primum crediderunt excogitemus, qui et possessiones et pecunias et omnem uitae huius curam expulerunt, et totos seipsos reconciderunt deo, et per singulos dies et noctes sermonis

Commented [ND10]: Morale sextum. Quod luctus qui est secundum deum, et letitiam facit magnam et utilitatem, et quod magnum malum risus, et quod oportet fugere theatra notum in marg.

Commented [ND11]: [fol.20rb]

doctrinae immorantes. Talis enim est ignis spiritualis. Nullum desiderium derelinquit habere eorum quae hic sunt, sed in alium nos transponit amorem. Propterea qui tales concupiscunt res, etsi omnia quae habent proicere oporteat, etsi lasciuam, etsi gloriam contempnere, etsi ipsam tradere animam, cum omni facilitate haec omnia faciunt. Ignis enim illius calor in animam intrans, omnem proicit desidiā, et penna facit leuiorem eum qui ab ipso possessus est, et omnium quae uidentur despectorem. Itaque qui talis est in conpunctione manet continua, fontes continuos emittens lacrimarum, et multam hinc fructificans uoluptatem. Nichil enim ita conglutinat et unit deo, ut tales lacrimae. Qui talis est etsi in mediis ciuitatibus habitauerit, in solitudine moratur et montibus. Nullum presentium uidens, nullam sacietatem talium accipiens lacrimarum, siue pro seipso siue pro delictis aliorum lacrimetur. Propter hoc ante alios hos beatificauit deus. Beati qui lugent dicens. Et qualiter paulus ait. Letamini in domino semper? Eam quae ex lacrimis his, dicens uoluptatem. Quemadmodum enim quae propter mundum est leticia, tristitiam habet coheredem, ita et quae secundum deum sunt lacrimae, leticiam assumunt continuam et inmarcescibilem. Ita meretrix uirginibus facta est honestior, ab hoc possessa igne. Quoniam enim calefacta est penitentia, bachata est ab eo qui circa christum est amore, capillos soluens et sanctos infundens lacrimis pedes, et propriis eum abstergens comis, unguentum effundens. Et haec quidem omnia, exterius facta sunt. Quae autem in mente perfecta sunt multo his calidiora erant, quae solus ipse uidebat deus. Propterea quisque audiens simul cum ea letatur, et congaudet illius directionibus, et ab omnibus liberat delictis eam. Si autem nos qui perniciosi sumus hanc ferimus sententiam de ea, intellige quid accoept a misericorde deo. Quot et ante dona dei, a penitentia fructificauit bona. Quemadmodum enim cum pluuia subscissa est uehementer caelum efficitur purum, ita et lacrimis descendantibus tranquillitas et serenitas efficitur, et peccatorum destruuntur tenebrae. Et quemadmodum ex aqua et spiritu, ita a lacrimis et confessione purgamur rursus, si non ad ostentationem hoc fecerimus, et ad honoris dilectionem. Eam enim quae ita lacrimatur, ea quae decoratur et subscriptionibus et coloribus, magis accusare dicerem utique esse iustum. Ego enim illas quero lacrimas quae non ad ostentationem sed quae ad conpunctionem factae sunt, quae occulte, quae in cellulis et nullo uidente, sed quae quiescibiliter et sine sonitu stillant a profunditate mentis, cum tribulatur et dolet, quae propter deum solum fiunt. Quales lacrimae anne fuerunt. Labia enim eius ait mouebantur, sed uox eius non audiebatur. Sed lacrimae solum, bucina clariorem emittebant uocem. Propterea et matricem aperuit deus, et duram petram mollem aream operatus est. Si ita et ipse lacrimatus fueris, imitator dominatoris factus es. Etenim et ipse lacrimatus est, et de lazaro, et de ciuitate, et de iuda turbatus est. Et hoc quidem multociens est uidere ipsum facientem. Ridentem autem nunquam, sed neque iniantem quiescibiliter. Ideo a euangelistarum nullus hoc dixit. Propterea et paulus quoniam quidem lacrimatus est, et quod per tres annos nocte et die hoc fecit, et ipse de seipso. Et alii de ipso dicunt. Quoniam autem risit nunquam neque ipse dixit neque alius nullus sanctorum, neque de alio aliquo tali, sed de sarra sola hoc dictum est, cum et increpata est. Et de filio noe, cum pro libero seruus factus est. Et haec dico non risum abscondens sed effusionem interimens. Qua enim de causa dic michi frangeris et effunderis, tot noxiis subiectus existens? Adhuc et terribili cum sis astaturus iudicio, et omnium redditurus rationem cum certitudinem eorum quae hic facta sunt. Etenim eorum quae uolentes et eorum quae nolentes peccauius, dabimus rationem. Quicumque enim negabit me ait coram hominibus, et ego negabo eum coram patre meo, quamuis non uoluntaria est talis negatio sed non effugit supplicium sed et huius dedimus noxam, et eorum quae scimus et eorum quae ignoramus. Nichil enim michi ipsi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Et eorum quae secundum ignorantiam, et eorum quae secundum cognitionem. Testor enim eis ait, quoniam zelum dei habent sed non secundum scientiam, sed

Commented [ND12]: [fol.20va]

Commented [ND13]: [fol.20vb]

tamen non sufficit hoc in apologiam eis. Et chorinthiis autem mittens dixit. Timeo ne forte serpens qui euam decept in astucia eius, hic corruerit intelligentias uestras a simplicitate quae est ad christum. Tantorum igitur dediturus noxas, sedes ridens et uoluptuosa dicens, et lasciuiae intendens? Si enim non haec fecero ait, sed lugebo? Quae est utilitas? Maxima quidem, et tanta quanta neque sermone representare est possibile. In exterioribus enim iudiciis quantumcumque lacrimatus fueris, supplicium non effugies post enuntiationem. Hic autem si conturbaris solum, soluisti sententiam et ueniam assumpsisti. Propterea multa de luctu nobis christus loquitur, et beatificat lugentes, et miseros uocat ridentes. Non enim est theatrum hoc risus, neque propter hoc conuenimus ut cachinnemus sed ut ingemiscamus, et regnum ex gemitu hoc hereditemus. Tu autem regi quidem assistens neque simpliciter iniare te pateris. Angelorum autem dominatorem habens inhabitatorem, non stas cum timore et sobrietate decenti? Sed rides cum ipse multociens irascatur? Et non excogitas ipsum? Non enim ita eos qui peccant ut eos qui non post peccatum contrauntur, auertere consueuit deus. Sed tamen ita sunt **insensibiliter** quidem dispositi, ut et post haec uerba dicant, michi autem absit lacrimari unquam, sed det michi ridere et ludere deus omni tempore. Et quid hac fiet mente derisibilis? Non enim deus dat ludere sed diabolus. Audi itaque quid ludentes passi sunt. Sedit ait populus comedere et bibere, et surrexerunt ludere. Tales erant qui in sodomis, tales qui in diluui. Etenim de illis ait, quoniam in superbia et habundantia et plenitudine panum luxuriabantur. Et qui secundum noe erant, archam in tot uidentes constructam annis, sine dolore letabantur, nichil futurorum preuidentes. Propterea et omnes eos superueniens attraxit diluuium, et commune orbis terrarum naufragium tunc operatum est. Ne igitur a deo petas haec quae a diabolo accipis. Dei enim est dare cor contritum et humiliatum, uigilans et contractum, penitens et compunctum, haec illius sunt dona. Quoniam horum nobis maxime est necessitas. Etenim agon instat nobis difficilis. Et ad inuisibiles nobis uirtutes colluctatio instat, ad spiritualia nequitie est prelium. Ad principatus, ad potestates est bellum, et amabile est studentes et uigilantes, et erectos posse siluestrem illum exercitum sustinere. Si autem et riserimus, et luserimus, et desides fuerimus, et ante certamen a propria cademus pigricia. Non igitur nostrum est ridere continue, et frangi, et lasciuire, sed eorum qui inscena sunt fornicantium mulierum eorum qui in hoc conuicium passi sunt uirorum dapiferorum, blanditorum, non eorum qui in caelum uocati sunt, non eorum qui in superiori ciuitate scripti sunt, non eorum qui arma ferunt spiritualia, sed eorum qui diabolo uectigal soluunt. Ille enim est ille qui et in artem hanc rem deduxit, ut milites christi dissoluat, et molliores eorum faciat desiderii neruos. Ideoque theatra fabricauit in ciuitatibus, et risus prouocatores illos instruens, per illorum **nocumentum** aduersus ciuitatem omnem talem erigit pestilentiam, quae fugere paulus iubet stultiloquium et scurilitatem, haec persequi suadens, et quod in hos utique difficilior est risus est materia. Quandoquidem enim blasphemum quid dixerint uel turpe, mimi derisorum illorum, tunc multi stultorum rident et letantur, pro quibus enim eos lapidare oporteret, pro his plaudentes, et caminum ignis per uoluptatem hanc aduersus suum trahentes caput. Qui enim laudant eos qui haec dicunt, hii maxime sunt qui dicere suadent. Ideoque supplicio quod in his imminet iustus utique hii erunt obnoxii. Si enim nullus esset qui haec inspiceret, neque utique aliquis in his certaretur. Cum autem uiderint uos et argasterium et artes, et eum qui ex his est questum et omnia simpliciter pro ea quae illic mora derelinquentes, maius accipiunt desiderium, et amplius faciunt circa haec studium et haec non liberans illos ab accusatione dico, sed ut uos discatis, quoniam principium et radicem talis iniquitatis, uos maxime estis qui tribuitis, qui diem uniuersam in his consumitis. Et honestas nuptiarum res deturpatis, et magnum misterium traducitis. Neque enim ita ille qui haec fingit est delinquens, ut ante illum tu qui haec iubes facere. Magis autem neque iubes solum, sed et studes, et letaris, et rides, et laudas quae fiunt, et

Commented [ND14]: [fol.21ra]

Commented [ND15]: [fol.21rb]

Commented [ND16R15]: De luctu notum in marg.

Commented [ND17R15]: At top of page, was not sure where to put

omnimodo applaudis tali ergasterio demonum. Qualibus igitur oculis dic michi ex reliquo mulierem in domo inspicias, uidens eam conuicio subiectam illic? Qualiter autem non rubes rememorans coniugis, cum naturam ipsam exemplificatam uideris? Ne enim michi hoc dicas, quod hypocrisis id est fictio sunt quae efficiuntur. Hypocrisis enim id est fictio haec multos fecit adulteros, et multas euertit domos, et propter hoc maxime ingemisco, quoniam neque estimas perniciosum esse quod efficitur, sed plausus et clamor, et risus multus fit, cum adulterium tale perpetratur. Quid dicis hypocrisis id est fictio est quae efficiuntur? Propter hoc ipsum quidem igitur infinitarum utique erunt illi morcium digni, quoniam quae fugere leges iubent omnes, haec imitari student illi. Si enim ipsum est malum, et imitatio eius est malum. Et nondum dico quot operantur adulteros, et inuerecundos constituunt talium inspectores. Nichil enim stuprosius neque turpius, oculo talia uidere concedente. Et in foro quidem non utique eligeres mulierem nudam uidere, magis autem neque in domo, sed et conuicium rem illam uocares. In theatrum autem ascendis, ut commune uirorum et mulierum iniurieris genus, et tuos confundas oculos? Ne enim utique hoc dicas quod meretrix est quae denudatur, sed quod eadem natura est et idem corpus meretricis et libere. Si enim nullum inconueniens est hoc, cur in foro si uideris hoc fieri et ipse resilis et eam quae deturpatur expellis? Sed cum diuisi quidem sumus, tunc inconueniens est hoc tale. Cum autem congregati et omnes simul sedentes, non adhuc similiter uerecundia, sed derisionis haec et improprii, et ultimae insaniae sunt uerba, et melius esset luto et gurgite uisum reungere omnem, quam talem inspiciere iniquitatem. Neque enim ita oculis iactura est gurgis, ut incontinenens uisus, et denudate mulieris inspectio. Audi itaque quid denudationem fecit a principio, et time deformitatis huius materiam. Quid igitur fecit denudationem? inobedientia et diaboli consilium, ita antiquitus et a principio, illius haec effecta est adinuentio. Sed illi quidem saltim uerecundabantur nudi existentes, uos autem et decoramini secundum apostolicum illud, in confusione uerecundia gloriam habentes. Qualiter igitur uidebit te ex reliquo mulier a tali reuertentem iniquitate? Qualiter suscipiet, qualiter alloquetur, ita inhonorabiliter consortium commune muliebris naturae traducentem, et seruum effectum adulterate mulieris? Si autem doletis haec audientes, gratiam uobis habeo multam. Quis autem est qui letificat me, nisi qui tristatur ex me? Neque quiescatis unquam ingemiscentes in his et dolentes. Etenim proemium est uobis eius quae ad meliora est transmutationis, dolor qui est ex talibus. Propter hoc ego uehementiorem sermonem feci, ut profundiosem dans incisionem, liberem a carie inebriantium uos, et ad puram reducam animae sanitatem, qua fiat omnes uos fortunari. Gratia et misericordia domini nostri ihesu christi, cui gloria in secula seculorum amen.

Commented [ND18]: [fol.21va]

Commented [ND19]: [fol.21vb]